



Universitätsbibliothek Paderborn

**D. Burchardi VVormaciensis Ecclesiae Episcopi,
Decretorum Libri XX. ex Consiliis, & orthodoxoru[m]
patru[m] Decretis, tum etiam diuersaru[m] nationum
Synodis, ceu loci communes congesti, in quibus ...**

Burchardus <Wormaciensis>

Parisiis, 1549

Liber XV.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10722

D. Burchardi

ECCLESIAE VVORMACI.
ensis Episcopi, de Laicis, Decretoru
Liber XV.

ARGUMENTVM LIBRI.

Libro hoc de Laicis omnis conditionis tractatio infinitatur, tam de iis qui præsunt, vt Imperatoribus, regibus, principibus, quam his qui horum imperio subiecti sunt.

Episcopi cum impositam à Deo sibi curam in populis habent, pauperum oppressores non ferant. Cap. I.

*Ex cōcil.
Toletan.
S.ca.32.*

Piscopi in protegendis populis ac defendendis, impositam à Deo sibi curā non ambigunt, Ideoq; dum conspiciunt iudices, ac potentes pauperum oppressores existere, prius eos a cerdotali admonitione redarguant: & si tempserint emendare, anathematizentur.

De illis qui in episcopij p̄dām fecerint. Cap. II.

*Ex cōcil.
Carthag.
cap.8.* **V**T si quis quemlibet expolauerit, & admonenter scopo non reddiderit, excommunicetur;

Vt episcopi potestates admoneant, vt pauperes non opprimant. Cap. III.

*Ex cōcil.
Aurelia.
cap.4.* **V**T iudices aut potestates, qui pauperes opprimunt, commoniti à pontifice suo nō emēdauerint, excorū minicentur.

De eadem re. Cap. IV.

*Ex cōcil.
Moguti.
cap.8.* **V**T episcopi potestatem habeat res Ecclesiasticas pruidere, regere, & gubernare, atque dispensare, secundum canonum authoritatem. Volumus ut laici in ministerio obedientiā episopis ad regendas Ecclesiās, viduas, & orphanos defendendos, & ut obedientes filii eorum Christianitatem seruandam, & Episcopi cor-

sentientes comitibus, & iudicibus ad iusticias faciendas,
& ut nullatenus per aliquorum mendacium, vel falsum te-
stimoniū, neque periurium, aut per præmium lex iusta in
aliquo depravetur.

*De secularibus Ecclesiam vel clericum iniuste calum-
niantibus.*

Caput V.

Si qui secularium pro calunnia Ecclesiam aut clericum *Ex conci.*
statigare tentauerit, & euictus fuerit, ab Ecclesiæ limi- *Agathæ,*
nibus, & catholicorum communione, nisi dignè pœnitue- *cap. 32.*
rit, arceatur.

Vt contemptores canonum excommunicentur.

Caput VI.

Vt laici contemptores canonum excommunicentur: *Ex cōcil.*
clericis honore priuentur. *Carthag.*
cap. 15.

De prævaricatoribus diuinarum legum. *Cap. VII.*

Si quis publicus diuinæ legis prævaricator, vel pro ma- *Ex conci.*
nifestis criminibus sanctorum canonum contemptor *apud Læ-*
repertus fuerit, ac sanctorum patrum constitutionibus con- *riacum,*
traditor, & si monitionibus episcopalibus obtemperare *cap. 10.*
distulerit, anathematizetur.

*Quod non liceat Imperatori, vel cuiquam potentum,
aliquid agere contra diuinum mandatum.*

Caput VIII.

Non licet ergo Imperatori, vel cuiquam pietatem cu- *Ex decr.*
studianti, aliquid contra mandata diuinitatis præsu- *Adriani*
mere, nec quicquam quo Euangelicis propheticisq; seu a- *papæ.ca.*
postolicis regulis obvietur, agere. Iniustum enim iudiciū, *16.*
& diffinitio iniusta, regio metu, vel iusu à iudicibus ordi-
nata non valeat: nec quicquam quod contra Euangelicā &
propheticā, aut apostoliā doctrinam, constitutionemq; eo-
rum sive sanctorum patrum actum fuerit stabit: & quod ab
infidelibus aut hæreticis factum fuerit, maiuso cassabitur.

Vt nemo contra canones esse præsumat. *Cap. IX.*

Vt constitutiones contra canones & decreta præsu- *Ex cōcil.*
lum Romanorum, vel bonos mores nullius sint mo- *Triburi.*
menti. *cap. 10.*

FF iiiii

D.BVRCHARDI. EPIS. VVORMAC.

Ex decr. L De imperatoria lege. Cap. X.
Pij papæ, cap. 3. Ex imperatorum non est supra legem Dei, sed subter.
Quando canonica ventilantur, nisi sint religiosi, laici non intersint. Cap. XI.

Ex cœcil. Cabillon. cap. 6. Q Vando ea quæ canonica sunt ventilantur, vel quando regularia examinantur, neque aliquos laicos interesse nisi religiosos oportet: & nisi hostatum modo, qui in propria appellantur persona.

Velaici in synodo, nisi clericis iubentibus, docere non audeant. Cap. XII.

Ex conci. Carthag. cap. 118. L Aici in synodo præsentibus clericis, nisi ipsis iubentibus, docere non audeant.

Vt populus sit docendus, non sequendus. Cap. XIII.

Ex decre. Celesti. papæ, ca. 22. D Ocendus est populus, non sequendus: nosque si nesciunt quod liceat, quidye non liceat commoneantur, non his consensum præbere debemus. Quisquis vero conatus fuerit tentare prohibita, sentiet censuram canoniam minime defuturam.

De illo qui contra decretum episcopi venerit. Caput XIII.

Gregor. dicit. S I quis venerit contra decretum episcopi, ab Ecclesia abiciatur.

Aumoneatur imperator, ut constitutis apostolicæ dis obtemperet. Cap. XV.

Ex decre. Anast. papæ. I Llud verò pecularius pro amore imperij vestri, & beatitudine quam consequi poterit regnum, pro apostolico officio prædicamus, ut sicut decet, & spiritus sanctus dicat, monitis nostris obedientia præbeat, ut bona omnia vestra res publica consequatur, sicut in Exodo promittitur. Si audieris vocem domini Dei tui, & quæ placent faceris coram eo, & obedieris præceptis eius, & custodieris omnem iustitiam eius, omnem infirmitatem quam impetravi Aegytiis, non importabo in te. Ego enim sum dominus, qui saluum facio te. Et illic iterum tuba potentissima canitur: Et nunc Israël, quid dominus Deus tuus postulat a te aliud, quam ut timeas dominum Deum tuum, & ambules in omnibus viis eius, & diligas eum, & seruias dominum

MAC.
ed subtr.
laici

vel quan-
laicos in-
ostatum.
e non
sis iuber-

XIII.
sque si ne-
mmoner-
is vero co-
m canon-
it.

ab Ecclesi-
ica se-

tri, & be-
o apostoli-
s sanctus di-
ona omni-
o promitti-
placent fe-
custodiem
am impo-
sum domi-
tentissima-
aus postulat-
um, & an-
ias domino

Deo tuo ex toto corde, & ex tota mente tua? Custodi præcepta domini Dei tui & iusticias, quas ego mandabo tibi. Hoc me suggesterent frequentius, non spernat pietas tua, ante oculos habens domini in Euangelio verba: Qui vos audit, me audit, & qui vos spernit, me spernit: & qui me spernit, spernit eum qui me misit. Nam & Apostolus concinens saluatori nostro, ita loquitur: Quapropter qui hæc spernit, non hominem spernit, sed Deum, qui dedit spiritum suum sanctum in nobis. Pectus clementiae vestrae, satrarium est publicæ fœlicitatis, ut per instantiam vestram, quam vélut vicarium præsidere iussit in terris, Euangeliis, apostolicisque præceptis non dura superbia resistatur, sed per obedientiam, quæ sunt salutifera, compleantur.

Generalis admonitio regum. Cap. XVI.

P Ropter hoc omnipotens Deus bonos quoque ad populum regimina perducit, ut per eos omnibus, qui bus prælati fuerint, dona suæ potestatis impendat: quod in Anglorum gente factum cognouimus, cui vestra gloria idcirco est præposita, ut bona quæ vobis concessa sunt, etiam subiectæ vobis genti superno beneficio restaurentur. Et ideo gloriouse fili eam, quam accepisti diuinitus, gratiam sollicita mente custodi, Christianam fidem in populis tibi subditis extendere festina: zelum restitudinis tuae, in eorum conuersione multiplica, idolorum cultus insequens, fanorum ædificia euerte. Subditorum mores in magna vita mundicia, exhortando, terrendo, corrigendo, & boni operis exempla monstrando, ædifica, ut illū retributorem inuenias in cœlo, cuius nomen atq; cognitionem dilataueris in terra. Ipse enim vestrae quoque gloriae nomen, etiam posteris gloriosius reddet, cuius vos honorem queritis, & referuatis in gentibus. Sic enim Constantinus quondam piissimus imperato, Romanā rem pub. à peruersis idolorum cultibus reuocans, omnipotenti Deo nostro Iesu Christo secum subdidit, seq; cum subiectis populis tota ad eum mente conuertit. Vnde factum est, ut antiquorū principum nomen, suis vir ille laudibus vinceret, & tanto in opinione præcessores suos, quanto & in bono opere superaret. Et nunc itaque vestra gloria cognitionem vnius Dei, patris, & filij, & spiritus sancti, regibus ac populis sibimet

Ex regis.
ad Adil-
bercū re-
gē Fran-
corum,
ca. 264.

D. BVRCHAR DI EPIS. VVORMAC,

subiectis festinet infundere, vt antiquos gentis sua regi, laudibus ac meritis transeat: & quantò in subiectis suis etiam aliena peccata deterserit, tantò etiam de peccatis propriis ante omnipotentis Dei terrible examen secessior fiat. Prætereà scire vestram gloriam volumus, quia sicut in scriptura sacra ex verbis domini omnipotens agnoscimus, præsentis mundi iam terminus iuxta est, & sanctorum regnum venturum est, quod nullo vñquam poterit fine finiri. Appropinquante autem eodem munito, multa imminent quæ anteà non fuerunt, nñlicet immutationes aëris, terroresque de cœlo, & conordinationem temporum tempestates, bella, famæ, pestilentiæ, terræmotus per loca, quæ tamen non omnia nostra diebus ventura sunt, sed post nostros dies subsequentur. Vos itaque si qua ex his evenire in terra vestra cognoscitis, nullo modo vestrum animum perturbetis: quia idcirco hæc signa de fine seculi præmittuntur, vt de animabos nostris debeamus esse solicii, de mortis hora suspecti, & venturo iudicii in bonis actibus inueniamur esse prepoliti.

Alia admonitio principum. Cap. XVII.

*Ex regist.
ad Iusti-
num im-
perato.
Siciliæ,
cap. 2.*

Quod lingua loquitur, attestatur conscientia: quod dudum vos & nullius dignitatis occupationibus implicatos multum dilexi, multumque veneratus sum. Ipsa nanque incessus vestri modestia quibuscum conatibus exigebat, vt diligi etiam à nolente debuisset. Ita cum vos venisse ad administrandam præturam Siciliae audirem, valde gauisus sum: & quia quandam inter vosque ecclesiasticos simulationem subrepere compcri, vehementissime contristatus sum. Nunc vero quia, & vos administrationis cura, & me studium huius regiminis occupat, in tantum nos rectè diligere specialiter possumus, quantum generalitati minimè noceamus. Vnde per omnipotentem dominum rogo, in cuius tremendo iudicio nostrorum actuum posituri rationem sumus, vt eius res ipsa eternam semper gloria vestra ante oculos habeat, & nunquam quodlibet, ex quo inter nos vel parva dissensio prouentur, admittat. Nulla vos lucra ad iniustitiam pertrahant. Quem sit vita brevis aspicite, ad quem quandoque ituri estis dicem, qui iudicariam potestatem geritis, cogitate. So-

letter ergo intuendum est, quod cuncta lucra hic relin-
quimus, & solas dispensatiuorum lucrorum causas, nobis-
cum ad iudicium deportamus. Illa ergo nobis sunt commo-
da querenda, quae nequaquam mors adimat, sed misura in
perpetuum praesentis vitae finis ostendar.

Item adhortatio principum. Cap. XVIII.

Si non ex fidei merito, & Christianæ religionis gratia *Ex reg.*
Gre. ad
tantæ excellentiæ vestræ bellicorum actuum prospé-
ritas eueniaret, non sumimopere miranda fuerant, cum Gennadii
sciamus hæc etiam antiquis bellorum ducibus fuisse con- *Patriciū*
cessa. Sed cum futuras Deo largiente victorias non carna- *& Exar-*
li prouidentia, sed magis orationibus præuenitis sit ut hoc *chū, cap.*
in stuporem veniat, quod gloria vestra non terreno con- *73,*
silio, sed Deo desuper largiente discedat. Ibi enim merito-
rum vestrorum loquax non discurrit opinio, quæ & bella
vos frequenter appetere, non desiderio fundendi sanguini-
nis, sed dilatandæ causa reipublicæ, in qua Deum coli con-
spicimus, loqueretur, quatenus Christi nomen per subdi-
tas gentes, fidei prædicatione circum quaque discurreret.
Sicut enim exteriora vos virtutum opera eminentes in
hac vita constituunt: ita & internorum ornamēta, ex cor-
de mundo procedentia, in futura vita cœlestium gaudio-
rum participatione glorificant.

Qualiter studendum sit regibus, sacerdotum vel po-
puli peccata vlcisci. Cap. XIX.

CV, M scriptum sit, iustitia eleuat gentem, miseros au- *Ex reg.*
Grego. ad
tem populos facit peccatum, tunc regnum stabiliri creditur, cum culpa quæ cognoscitur, citius emendatur. *Brunihil-*
Multorum igitur ad nos relatione peruenit, quod dicere *dam regi*
sine afflictione cordis nimia non valemus, ita quosdam *nam Frā-*
sacerdotes in illis partibus impudicè ac nequiter conuer- *corum,*
sari, ut & audire nobis [obprobrium], & lamentabile sit *cap. 272.*
referre. Ne ergo postquam huius nequitiae hucusque se
tetendit opinio, aliena prauitas aut nostram animam, aut
vestrum regnum peccati sui iactilo feriat, ardenter ad hæc
debemus vlciscenda consurgere, ne paucorum fames, mul-
torum esse possit perditio. Nam causa sunt ruinæ populi,
sacerdotes mali. Quis enim pro populi peccatis se inter-

D. BVRCHARDI EPIS. VVORMAC.

cessor obiciat, si sacerdos qui exorare debuerat graviori
committat? Sed quoniam eos quorum haec locutio est in-
qui, nec solicitude ad requisitionem, nec zelus excitat
vindictam: scripta ad nos vestra discurrant, vt personam
præcipitis cum vestrae autoritatis assensu transmittamus,
qua cum aliis sacerdotibus haec & subtiliter queret,
& secundum Deum debeat emendare. Nec enim di-
mulanda sunt quæ dicimus: quia qui emendare potest &
negligit, participem se proculdubio delicti constituit.
Prouidete ergo animæ vestrae, prouidete nepotibus quo-
cupitis regnare fœliciter, prouidete prouinciis, & pri-
quam creator noster manum suam ad ferendum exci-
tiat, de correctione huius sceleris studiofissimè cogi-
te, ne tanto postmodum acrius feriat, quantò modo di-
tius & clementer expectat. Scitote autem quia magnum
Deo nostro sacrificium placationis offeretis, si tanti laben-
facionis, de vestris citius finibus amputatis. Datum de
X. Calend. Iulij. Indict. quarta.

Decadentia. Caput XX.

*Ex re.
Gre. ad
Tenderi-
cum regē
Franco-
rum, cap.
273.*

Xcellentiæ vestrae index cordis epistola, quantum
vobis fulgeat cum regia potestate, prudentia, ita locu-
lenti copia sermonis edocuit, vt dubium esse non valeret,
quicquid laudabile de vobis fama narrauerit. Et quoniam
adhortationem nostram regis animis, per laudis predica-
menta placuisse signastis, vt quicquid ad Dei nostri cul-
tum, quicquid Ecclesiarum reverentiam, quicquid ad ho-
norem pertinere cognoscitis sacerdotum, studiose strati
& velitis in omnibus custodire, iterata vos per vestra
mercedem adhortatione pulsamus, vt congregari syno-
dum iubeatis, & sicut dudum scripsimus, corporalia sa-
cerdotibus vitia, & symoniacæ hæresis prauitatem, om-
nium episcoporum definitio[n]e damnari, atque à regni-
stri amputari finibus, faciatis, nec plus illis per pecuniam
obtinere, quā præcepta dominica præcipiunt permittiatis.
Nam dum omnis auaritia idolorū sit seruitus, quisquis hat
in dandis honoribus & maximè ecclesiasticis vigilanter
non præcauet, infidelitatis perditioni subiicitur, etiam
tenere fidem quā negligit videatur. Sicut ergo contrae-
rior[es] hostes, ita quoq[ue] cōtra interiores animarū aduer-

farios studete esse solliciti, ut per hoc quod Dei nostri ini-
micis fideliter repugnatur, & hic fœliciter ipsius protec-
tione regnetis, & ad æterna postmodum gaudia eius duce gra-
tia veniatis.

*Quod multorum solamen sit, si prudentes viri regibus
adhærent.* Cap. XXI.

Prudentes viros, sicut estis, regibus adhærere, multorum *Ex rege*
solamen est. Nam dum præstari sibi locum ad animæ *Greg. ad*
datum utilitatem intelligunt, certum est, quia mercedis cau- *Asdepius*
sis alias vbi inueniunt non præponunt. *dotū Pa-*
tricium

Vt regum aduersarū excommunicentur. Cap. XXII. *Anglor.*

Si quis potestati regiae, quæ non est iuxta Apostolum nisi *cap. 271.*
Sæ Deo, contumaci & inflato spiritu contradicere, vel *Ex cœcil.*
refondere, præsumperit, & eius iustis & rationabilibus im- *apud Lass.*
periis secundum Deum & autoritatem Ecclesiasticam ob- *riacum,*
temperare noluerit, anathematizetur. *cap. 13.*

De illis qui principi nō obedierint. Cap. XXIII

IN Libro Regum legitur: *Qui nō obedierit principi, moriatur.* *Ex cœcil.*
Ite moriatur. In concilio autem Agathensi præcipitur, ut *Toletan.*
anathematizetur.

*De illis qui in aduersitate propriæ gentis aut patriæ cul-
pabiles inueniuntur.* Cap. XXIII.

NOBIS igitur ratio persuasit synodalis decernere, ut *Ex eodē.*
Quicunque laicorum aduersitate propriæ gentis, aut
patriæ, vel regie potestatis, ad exterias partes se conferendo
noxius fuerit ultra revertitus, perpetua sit excommunicatio-
ne damnatus, & nunquam illi præter in ultimo mortis suæ
communio tribuatur.

*Vt nullus præsumat principe viuente alium eligere
regem.* Cap. XXV.

QVANquam in concilio anteriori quòd anno primo *Ex eodē*
gloriosissimi principis nostri habitum est, de huius- *cœcilio.* 7
modi re fuerit promulgata sententia: tamen placet iterata *cap. 17.* 1
iuxta quod conuenit custodiare. Itaque regis vita constante,
nullus sibi aliquo opere, vel deliberatione, seu cuiuscunq; di-
gitationis laicus, seu gradu episcopatus, presbyterij, aut diaco-
ni consagratus, ceterique clericatus officiis deditus, futu-
rum regem prouideat, contra viuentis regis utilitatem, &

D. BVRCHARDI EPIS. VVORMAG

proculdubio voluntatem, blandimento, vel suasione per eandem spem, aut alios in se trahat, aut ipse in aliis quiescat. Iniquum enim & valde execrabile à Christi debet haberis, futuri temporis illicitis prospicere, & vitia ignaros vētura disponere. Quod si quisquam iam talia qua deliberatione cum quoconque est meditatus, hoc nouerit esse sacerdotali moderatione concessum, ut finaliter poscit, hoc sine mora presentis principis auctoritate studeat publicare. Si autem obtineat & deliberationis machinamēta noluit dicere, pessimo plectatur anathema.

Vt nemo intendat in interitum regis. Cap. XXVI.

*Ex eodē.
cap. 18.*

Am quidem in antecedenti vniuersali synodo, salutis strorum principum constat esse consultum, sed libenter bene fancita, & digna autoritate munire salubriter dinata. Ideoque contestamur coram Deo, & omniorum angelorum, coram prophtarum atque apostolorum, vel omnium martyrum choro, coram omni catholica Ecclesia, Christi annorum cōetu, vt nemo intendat in interitum regis, nemo vitam principis nece attrahet, nemo regis gubernaculis priuet, nemo tyrānica præsumptione apud regni sibi usurpet, nemo quolibet machinamēta in eius universitatē sibi coniuratorum manum associet. Quod si quopiam horum quisquam nostrorum temetario auctoritate extiterit, anathemate diuino percussus, absque remedij loco, habeatur condemnatus aeterno iudicio.

De fidelibus regum. Cap. XXVII.

Ex eodē

Proinde decreuit concilium sanctum, omnes qui profundi obsequio, & sincero seruitio, voluntatibus, vel infidis paruerint principis, totaq; intentione salutis eius confidiam, vel vigilantiam habuerint regni, à successoribus ne à dignitate, nec à rebus pristinis causa repellantur infidelis & nūc ita pro vnius cuiusque utilitate principis modifentur discrezione, sicut eos prospexit necessaria esse patriae, & sic illis impartiatur benignitas, vt in ceteris mercenariis gratia, & potestas, quatenus ita omnia in rebus iusti conquista lucentur, vt posteris relinquendi, vel quibus luntas eorum decreuit, conferendi, spontaneo frumento bitrio. Cæterum, si infidelis quisquam in capite regio,

inutilis in rebus commissis extiterit, in clementia vestrae manu posteritatis nutu constet huiusmodi moderatio. Fas est enim indubium deducero ius potestatis, cui omnium gubernatio superno constat delegata iudicio. Quod si post eius discessum quispiam repertus fuerit vita fuisse infidelis, quicquid largitate ipsius in rebus habuit, conquisitis careat, confiscandum, & fidelibus largiendum.

Deregum sbole. Cap. XXVIII.

Sicut insolentia malorum regum odiosa semper & exerceatur. *Ex eodē cap. 16.*
Scrabilis existit subiectis: ita bonorum prouida vtilitas amabilis efficitur populis. Quocirca quis ferat, aut quis tam errantem Christianum videat, qui regiam sbole, aut posteritatem conetur expoliare rebus, aut priuare dignitatis! Quod deinde ne fiat, generalis promatur principis filii sententia nostra, id est, de præsentis excellentissimi Cintilani regis posteritate dentur apta à nobis decreta, ut eaꝝ synodus præterito anno in hac Ecclesia habita constituit, circa omnem posteritatem eius yniuersitas regni sui conseruet, hoc est, ut præbeatur filiis eius dilectio benigna & firma, & tribuantur, vbi loci opportunitas exhibuerit, defensiones ad adminicula iusta:ne de rebus iuste profligatis, aut parentum dignitate procuratis, vel largitate principum aut alicuius impensis, aut etiam pro pierate debitis, fraudentur qualibet insidia calliditatis, néve à quoquam ledendi eos præbeantur argumenta machinationis: quia dignum est, ut cuius regimine habemus securitatem, eius posteritati decreto conciliij impertiamus quietem.

Quod quicquid commotus animus fecerit, hoc iustum puter. Cap. XXIX.

Omnipotenti Deo reus est, qui serenissimo domino in *Ex rege. Greg. ad indigens pietatis vestrae famulus, in hac suggestione mea, Miuri-* neque ut episcopus, neque ut seruus iure reipublicæ sed iu- *cū An-* te priuat, & loquor, quia serenissime domine, & illo iam tempore dominus om- *cap. 213,* nium non eras. Illa præpositorum sollicitudo vtilis, illa est claustra laudabilis, in qua totum ratio agit, & furor si- bi nil vindicat. Restringenda ergo sub ratione potestas est, nec quicquam agendum prius, quam concitata ad tran-

D. BVRCHARDI. EPIS. VVORMAC

quillitatem mens redeat, Nam commotionis tempore
stum putat ira quod fecerit.

Quod laici presbyteros, qui Ecclesiast illorum tenent,
non aliud quam diuinum officium facere cogant.

Caput XXX.

Ex dictis
August.

Admonere vos dilectissimi Deum timere, sacerdos-
torum reddentes eis debitum sanctitatis, ut vobis
iuuātibus ipsi incōturbati valeant, atq; securi, salutari-
dicare, & regulam atque vigorem Ecclesiasticum conser-
re, ita clerici omnes suis subiaceant episcopis, & ab illis
ceantur. Præceptū quippe est à domino: Reddite que
Cæsar, Cæsari, & quæ sunt Dei, Deo. Apostolicum pre-
ceptum vobis mando, ut nullus secularis clericu in suum
beat obsequium, sed illi cuius signaculum in capite hinc
mente deseruiat, & corde, educatus in his quæ à suopte
piuntur episcopo. Detestabile est enim & iniquum opus
ricum in Iudis inueniri, aut cum accipitribus, vel venato-
nibus degere vitam, tantisque scenicis causis fauientur
episcopatum aut presbyterium, vel quibuslibet sacerdotio
officiis accedere, non bonis: sed malis vitiis plenum. Se-
ptum nanque est: Qui diligit dominū, odire malum. Non
& hoc hortamur Christianitatem vestram, ut iuxta sancti
ctorum canonum instituta, nec Ecclesiis à vobis fundata
liundē veniens presbyter suscipiatur, nisi à vestra Ecclesia
fuerit episcopo consecratus, aut ab eo per commendacionem
literas suscipiatur. Multi enim sibi meti ipsi mendaces
toties serui cuiusquam fugam arripientes, dominis
meti ipsos quasi consecratos presbyteros annunciant,
non sint. Sunt autem ministri diaboli & non Dei, & qui
suscipiunt similiter: quia scriptum est: Videbas furem
cum eo currebas, &c.

Vt Iudei super Christianos nō ponantur. Cap. XXXI.

Ex concil.
Meldensi
cap. 3.

Non Iudei administratori vnu sub ordine villicorum
nec eis hoc à quoquam fieri præcipiatur. Si quis vero
tra hæc agere præsumperit, si episcopus, presbyter, adie-
conus fuerit, proprio suminoueat gradu: si vero no-
chus fuerit, communione priuetur. Similiter & laicus, si
perseuerauerint inobedientes, anathematizentur.

*Quod sancta Ecclesia unum patrem habeat
in cælis.* Cap. XXXII.

QVia ergo constat in Ecclesia diuersarum conditio- *Ex cœcil.*
num homines esse, vt sunt nobiles, & ignobiles, ser- *Cabillon.*
ui, coloni, inquilini, & cætera huiuscmodi nomina, oport- *cap. 51.*
et, vt quicunque eis prælati sunt, clerici, siue laici, clem-
ter erga eos agant, & misericorditer eos tractent, siue in
exigendis ab eis operibus, siue in accipiendo tributis, &
quibusdam debitibus, sciantque eos fratres suos esse, & vnu
patrem habere Deum, cui sic clamant: Pater noster qui es
in cælis, vnam matrem sanctam Ecclesiam, quæ eos in te-
merato sacri fontis utero gignit. Disciplina igitur eis mi-
sericordissima, & gubernatio opportuna adhibenda est.
Disciplina in disciplina te viuendo, authorem suum offen-
dunt. Gubernationes in quotidianis vitæ cōmeatib⁹ præ-
latorum adminiculo destitutæ fatiscunt.

De illo qui pro catholica fide tribulationes patitur.

Caput XXXIII.

Christianum catholicū, qui pro catholica fide, & pro *Ex cœcil.*
Ecclesiasticis rebus, & Christiana religione tribula- *Carthaga-*
tiones patitur, omni honore à sacerdotibus honorandum, *gi.ca. 43.*
etiam & per diaconum victus ei ministretur.

*De hæredibus, si iussa testatoris non implenerint, vt
episcopus adimpleat.* Cap. XXXIV.

Si hæredes iussa testatoris non adimpleuerint, ab epi- *Ex cœcil.*
scopo loci illius omnis res, quæ his relicta est, canonicè *Moguti.*
interdicatur, cum fructibus, & cæteris emolumentis, vt vno *cap. 1.*
ta defuncti impleantur.

*Vt laici quanuis religiosis Ecclesiastica non
disponant.* Cap. XXXV.

LAICIS, quanuis religiosis, nullo modo de ecclesiasticis *Ex codē*
facultatibus aliquid disponendi, vñquam attribuatur *cap. 5.*
facultas.

De illis qui res Ecclesiæ à regibus petunt.

Caput XXXVI.

QVI res Ecclesiæ petuut à regibus, & horrendæ cu- *Ex cœcil.*
piditatis impulsu egentium substantiam rapiunt, *Lugdunē*
irrita habeantur quæ obtinent, & à communione *si, cap. 11.*
Ecclesiæ, cuius facultatem auferre cupiunt, excludantur.

GG

D.BVR CHARD. EPIS. VVORMA.

De eo, si episcopus ecclesiasticum, & comes, se upi
culare placitum una die condixerint. Caput XXXVI.

Ex cōcil. **C**VM autem episcopus Ecclesiam à domino Deo in
Triburi. **C**ommissam regens, episcopatum circumēdo pen-
eui inter- xerit, & placitum canonice constitutum decreuerit, po-
fuit rex lumq; sibi commissum illo inuitauerit, atque comes.
Arnol- die sciens placitum ab episcopo condictum, vel nescie-
phus, ca. - placitum cum populo suo condixerit, & banno illucen-
9. - re præceperit, placitum comitis omnes postponant, & co-
mes ipse, idemque populus post episcopum festinat pa-
gant, scientes se non illic seditiosa contentionē decen-
tre, sed pro fide catholica inuigilare, non cumulum pia-
niarum, sed lucrum congregare animarū. **V**nde in ea
beati Clementis epistola: Vestrum, qui legatione domi-
fungimini, est docere populos: eorum vero est, vobis ob-
dire in Deo. Et in epistola Alexandri papæ successoris
uaristi: Si quis autem legationē vestrā impedit, non
sed multorum profectum auertit. Et sicut multis nocet,
à multis est arguendus: & quia Dei causam impedit, & in
rum Ecclesiae conturbat, ideo à liminibus eius arrebat.
Quapropter nullus comes, nullusq; iudex, nullus omnis
in clericatu, vel seculari habitu constitutus, legationē epis-
coporum impedit, vel conturbare præsumat. **V**t auen-
vnanimitas & cōcordia sit inter episcopos & comites pli-
cuit, vt si quis episcopus domi residens conuentum pop-
li esse voluerit, & comes, nihilominus in ipsa eadem
placitum condixerit, effectum obtineat, qui prior indic-
uerat. **S**alua tamen dignitate, & potestate episcopi,

De regibus bene regentibus.

Cap. XXXVII.

*Ex dictis
S. Isidor.*

QVI intra seculum bene temporaliter imperat, finē in perpetuum regnat, & de gloria seculi huic
ad æternam transireat gloriam. Qui vero prauè regnū
exercent, post vestem fulgentem, & lumina lapilliū, mo-
& miseri ad inferna torquendi descendunt. Reges a ter-
agendo vocati sunt, ideoque recte faciendo regis no-
tenerit, peccando amittitur. Nam & viros sanctos prae-
de reges vocari in sacris eloquiis, eo quod secundū agantur.

susque proprios bene regant, & motus his resistentes sibi rationabili discretione componant. Recte igitur illi reges vocatur qui tam semetipso, quam subiectos bene regendo modificare nouerunt. Quidam ipsum nomen regis, ad immanitatem transuertit crudelitatis: dumq; ad culmen potestatis venerint, in apostasiam statim labuntur, tantoque se tumore mentis extollunt, ut cunctos subditos in sui comparatione despiciant, eosq; quibus praesse contigit non agnoscant. Quibus congrue per Ecclesiasten dicitur: Ducem te constitui, noli extolliri. Tu mundi reges se cateris sublimiores sentiunt, mortales tamen se esse cognoscant: nec regni gloriam qui in seculo sublimantur, aspiciant, sed opus quod secum ad inferos deportant, intendant. Si ergo carebunt huius temporis gloria, illa agant, que post finem sine fine possideant. Dum Apostolus dicat: Non est potestas nisi a Deo. Quomodo per prophetam de quibusdam potestatibus dicitur: ipsi regnauerunt, sed non ex me? Quasi diceret: Non me proprie, etiam, sed me irato. Vnde inferius per eundem Prophetam dicit: Dabo, inquit, tibi regem in furore meo. Quo manifestius elucet, bonam, malamque potestatem a Deo ordinari, sed bonam propitiis, malam iratus. Reges quando boni sunt, munieris esse Dei: quando verò mali, sceleris esse populi. Secundum meritum enim plebium, disponitur via rectorum. Testante Iob: Qui regnare facit hypocritam, propter peccata populi. Irascente enim Deo talem rectorem populi suscipiunt, qualē pro peccato merentur. Non unquam pro malitia plebis, etiam reges mutantur, & qui ante videbantur esse boni, accepto regno sunt iniqui.

De eadem re. Cap. XXXIX.

QVI recte uitetur regni potestate ita se prestatre omni- *Ex dictis*
bus debet, vt quanto magis honoris celitudine cla- *eiusdem.*
ret, tanto semetipso mente humiliet proponens sibi exē-
plum humilitatis David, qui de suis ineritis non tumuir,
sed humiliter sese deiiciens dixit: Vilis incedam, & vilis
apparebo ante deum, qui elegit me. Qui recte uitetur regni
potestate, formam iustitiae, factis magis, q; verbis instituet.
Ite nulla prosperitate erigitur, nulla aduersitate turbatur.

GG ii

D. BVRCHARDI EPIS. VVORMAC.

Nō innititur propriis viribus, nec à domino recedet cor eius. Regni fastigium, humili præsedit animo. Non eum delectat iniquitas, non inflamat cupiditas: sine defractatione alicuius ex paupere diuites facit, & quod iuxta potestate à populis extorquere poterat, sæpe misericordia clementia donat. Dedit Deus principibus præsulatum pro regimine populorum: & illis eos præesse voluit, cum quibus una est eis nascendi, moriendique conditio. Prodelle ergo debet populis principatus, non nocere, nec domino præmere, sed condescéndo consulere: ut vere sit viue hoc potestatis insigne, & donum Dei pro tuitione nutrit membrorum Christi. Mæbra enim Christi, fideles sunt populi: quos dum ea potestate quam accipiunt, optimè regunt, bonam vtique vicissitudinem Deo largitori resuunt. Bonus rex facilius ad iustitiam à delicto regreditur, quam de iustitia ad delictum transfertur: Ut noueris hoc esse casum, illud propositum. In proposito eius esse debet nunquam egredi à veritate: quod si cauī titubare contigit, mox resurgere.

De patientia regum. Cap. XL:

Ex dictis
eiusdem.

P

lerunque princeps iustus, etiam malorum errores simulare nouit. Non quod iniquitati eorum consentaneum, sed quod aptum tempus correctionis expectet, quod cum vitia, vel emondare valeat, vel punire. Multi aduersari principes coniurationis criminē deteguntur, sed probans volens Deus clementiam principum, illos male cogitare permittit, istos non deserit. De illorum malo, bene istis fecit: dum culpas quas illi agunt, isti mira patientia indulget. Reddere malum pro malo, vicissitudo est iustitiae. Sed qui clementiam addit iustitiae, nō malum pro malo cuperit, sed bonum pro malo offendis impertit.

De delictis regum seu exemplis. Cap. XL:

Ex dictis
eiusdem.

D

ifficile est principem regredi ad melius, si vitiis fuerint implicatus. Populi enim peccantes, iudicem metuunt. Reges autem, nisi solo Dei timore, metuq; gelicenz coércentur, liberi in præcepis proruunt, & per abruptum licentiae, in omne facinus vitiorum labuntur. Quāto quis in superiori constitutus est loco, tanto in maiori cōuerstionē.

tur periculo, & quanto splendoris honore quisque celsior est, tanto si delinquit, peccato maior est. Potentes enim, potenter tormenta patiuntur. Cui enim plus committitur, plus ab eo exigitur, etiam cum mensura penarum. Reges vitam subditorum facile exemplis suis, vel aedificant, vel subuertunt. Ideo principem non oportet delinquere, ne forma peccandi faciat peccati eius impunita licetia. Nam res qui ruit in vitiis, citio viam ostendit erroris. Sicut legitur de Hieroboam, qui peccauit, & peccare fecit Israël. Ille autem ascribitur, quicquid exemplo eius a subditis perpetratur. Sicut nonnulli bonorum principum Deo placita facta sequuntur, ita facile multi prava eorum exempla sectantur: plerique autem apud iniquos principes necessitate magis quam voto mali existunt, dum imperii eorum obediunt. Nonnulli autem, sicut prompti sunt sequi reges in malum, sic pigri sunt initari illos in bonum. Saepè vero mali reges peccant, inde boni iustificantur: dum precedentium cupiditatem & malitiam corrugant. Nam re vera peccatis eorum communicant, si quod illi disrupti, isti retentant. Cuius peccatum quisque sequitur, necesse est ut eius penam sequatur. Neque enim erit impar supplicio, cuius errore quisque par est, ac vitio.

Quod reges legibus teneantur. Cap. XLII.

Vitum est, principem legibus obtemperare suis. Tunc enim iura sua ab omnibus custodienda existimet, quādo & ipse illis reverentiam præbet. Principes legibus teneri suis, ne in se posse damnare iura, quæ in subditis constituant. Iusta enim vocis eorum authoritas, si quod populi prohibent, sibi licere non patientur. Sub religionis disciplina seculi potestates subjectæ sunt. Et quanvis culmine regni sint prædicti, vinculo tamen fidei tenentur adstrati, ut fidem Christi, suis legibus prædicent, & ipsam fidei prædicationem moribus bonis conseruent.

De disciplina regum in Ecclesia. Cap. XLIII.

Principes seculi nonnunquam intra Ecclesiam potesta-
tis adeptæ culmina tenent, ut per eandem potestatem, disciplinam ecclesiasticā muniant. Ceterum intra Ecclesiam potestates necessariae non essent, nisi ut quod non pre-

Ex dictis
eiudem.

GG iii

D. BVRCHARDI EPIS. VVORMA.

ualet sacerdos efficere, per doctrinæ sermonem, potest
hoc imperet, per disciplinæ terrorem. Sæpe per regnum po-
renum, cœleste regnum proficit, vt qui intra Ecclesiam po-
siti contra fidem & disciplinam Ecclesiæ agunt, rigore pri-
cipum conterantur, ipsamq; disciplinam quam Ecclesia vi-
litas exercere non præualet, ceruicibus superborum pot-
estas principalis imponat, & vt bene rationem mereantur,
virtute potestatis impertiat. Cognoscant principes seculi,
Deo debere reddere se rationem, propter Ecclesiam quan-
à Christo tuendam suscipiunt. Nam siue augeatur pax, &
disciplina Ecclesiæ per fideles principes, siue soluaturla
ab eis rationem exigit, qui eorum potestati suam Eccle-
siam credidit.

*Cur Deus alios ad libertatem, alios autem ad servi-
tem discreuerisset.* Cap. XLIII.

*Item eius
dem.*

PR'OPT'E R peccatum primi hominis humano gen-
dem. **P**œna diuinitus illata est seruis, ita vt quibus apicis
non congruere libertatem, his misericordius irrogat fer-
uitatem: & licet per peccatum humanæ originis, tam
æquus Deus ideo discreuit hominibus vitam, alios seruos
constituens, alios dominos: vt licentia male agendi le-
tiorum, potestate dominantium restringatur. Nam si omnes
fini metu fuissent, quis esset, qui à malis quempia cohabe-
ret? Inde & in gentibus principes, regesque electi sunt, n
terrore suo populos à malo coercerent, atque ad recte-
uendum legibus subderent. Quantum ad penitentes
non est personarum acceptio apud Deum, qui mundat
git ignobilia & contemptibilia, & quæ non sunt, vt ea
sunt, destrueret, ne glorietur omnis caro, hoc est, carna-
potentia coram illo. Unus enim dominus, equaliter &
minis fert consultum & seruis. Multior est subiecta ser-
tus, quam elata libertas. Melti enim inueniuntur Deo lo-
berè seruientes sub dominis constituti flagitiousque
subiecti sunt illis corpore, prelati tamen sunt mente.

FINIS Libri decimiquinti.